



# F. EMMANUEL A.S.

THOMA IN SACRA THEOLOGIA MAGISTER, huiusque Boëthicæ Provinciae Ordinis Prædicatorum humilis Prior Provincialis, & servus; RR. Adm. PP. Magistris, Prioribus, cœterisque Patribus, & charismatis filijs eiusdem Provinciæ, salutem, & Spiritus Sancti omnium bonorum charismata.

**R.** Adm. Paternitatibus vestris notum est, in Capitulo Provinciali præterito intermediae cōgregationis Capitulum in Conventu nostro Sæctorum Pauli, & Dominici Astigiensi die vigeſima tertia Mensis Aprilis Sabbatho ante Dominicā Deus qui errantibus huius præsentis anni, esse designatum. Vt ergo iuxta nostrarum legum, Generaliumque Capitulorum Sanctiones procedamus, tenore præsentium, nostrique auctoritate officij adducti prædictum diem designamus, & præfimus. Cui igitur Congregationi novem, scilicet, R.R. Adm. Patres Magistri antiquiores loco, & voce gaudentes, nec non Capituli Provincialis proximè præcedentis R.R. Adm. Patres Deffinitores, quia decimque R.R. Patres Piores Conventuum, nempè, nostrorum Regalium S. Pauli Cordubensis, & Hispalensis, Sancti Dominici Xiriciensis, Murciensis, & Sanctiorum Pauli, & Dominici Astigitani, Regalis S. Catharinæ Martyris Giennensis, S. Dominici de Porta Cæli Hispalensis, Regalis S. Crucis Granatensis, Regalis S. Dominici Malacitani, Reginæ Angelorum Hispalensis, Sancti Dominici Utaonensis, Conventus, & Collegij Ss. Rosarij Alcobricensis, Conventus S. Dominici de Guzman de Saolucar, Collegij S. Mariæ Montis Sion Hispalensis, Conventusque S. Dominici Pacensis, tenebuntur adesse. Quos omnes per prælentes convocamus, & citamus, eisque in virtute Spiritus Sancti, subque Sanctæ obedientiæ præcepto formaliter præcipimus, ut in prædicto nostro Conventu Sanctorum Pauli, & Dominici Astigiensi legitimo im-

anno 1698  
die 21. Maii  
item 10. Iunij  
anno 1698

impedimento cessante, personaliter satagant comparere, quo si se senserint præpeditos, illius me statim certiore efficiant, ut in ipsorum absentia, quos secundum dictorum Generalium Capitulorum leges mea interest subrogare, convocandos suscipiam.

Denunciamus omnibus Supprioribus Conventuum iuxta ordinationem secundam Capituli Generalis Romæ celebrati anno Domini 1629. pro hac Bœthica Provincia, congregandos fore, & convocandos omnes Patres vocales pro Scrutinio faciendo, pro retentione, vel amotione Prioris cum duobus scrutatoribus iuxta præscriptum nostrarum Constitutionum, quod fideliter sygillatum ad prædictum Couventum Congregationis transmittant tradendum Patri Suppriori eiusdem; quod etiam præcipimus de remissione nominum defunctorum, qui a præcedenti Capitulo obierunt.

Ne tamen Conventus noster Sanctorum Pauli, & Dominici Astigiensis immoderatis gravetur expensis, & alijs gravioribus incommodis occurramus; innovamus ordinationem tertiam Capituli Generalis Romæ celebrati anno 1629. in qua determinatur pro hac Provincia Bœthica per hæc verba: *Ordinamus, Et præcipimus sub formali præcepto, nec non sub pena excommunicationis latæ sententiae ipso facto incurrienda omnibus fratribus huius nostræ Provinciæ; ne quis absque licentia Provincialis ad Capitulum Provinciale, vel Congregationem intermedium non spectans ad Civitatem, vel oppidum, in quo Capitulum, vel Congregatio prædicta celebratur accedere audeat: Declarantes omnes inobedientes ad quoscumque gradus, Et officia in eisdem Capitulis distribuenda inhabiles fore.* Quam ordinationem omnino innovavit Capitulum Generale ultimum Romæ 1686. eamque, ut iacet, executioni mandavimus. Ac proinde nullus prædictorum Patrum vocalium domum Capituli intrare præsumat ante feriam quartam, vel quintam præcedentem die Sabbathi Congregationis, nec ullum secum socium deferant Clericum, vel Conversum exceptis RR. Patribus, qui fuerunt Provinciales.

Item præcipimus omnibus Patribus Prioribus, qui quantitatem pœcuniæ pro subsidio, & constitutione suis Conventibus designatam in litteris patentibus huius anni hucusque non persolverunt, neq; in Archivio cōmūqi Provinciæ, ut in dictis litteris præcipitor, eam possuerunt, dictas pœcu-

pœcunias debere afferre Congregationi, & tradendas Pari-  
tribus Depositarijs Provinciæ sub pœna privationis vocis  
activæ, & passivæ ipso facto incurriendo.

Item denunciamus, ut qui Artium, & Sacrae Theolo-  
giæ lectioni præsuerint, eamque pro forma, & gradu absol-  
verint; suarum institutionum, quibus primò in Lectores  
sunt instituti, & etiam notificationum, & acceptationum  
temporis litteras testimoniales, nec non annorum, quos in  
Sacra Theologia legenda consumpsere, testimonia subs-  
cripta ad prædictum nostrum Conventum Astigitanum  
transmittant tradenda R. Patri Regenti eiusdem. Idemque  
denunciamus omnibus, qui per plures annos verbi Dei præ-  
dicationi incubuerint; ut inspectis omnium meritis, labo-  
ribusque collatis, unicuique præmium, secundum rectam  
iustitiae distributionem impendere possimus.

### ORDO SERUANDVS IN SACRIS CONCIO- nibus ad populum.

Dominica de Ss. Rosario, cum commemoratione Sancti Pauli titularis dicti Conventus, R. P. Lector Fr. Thomas Gallardo Prior nostri Conventus Ss. Rosarij de Alcalá la Real.

Feria secunda de Ss. Patriarchis, & Patribus nostris Francisco, & Dominico, in quo die incidit festum Sancti Marci Evangelistæ, R. P. Fr. Antonius de Pitillas Lector Primarius Conventus nostri R. S. Pauli Cordubensis.

### ORDO SERUANDVS IN PVBLICIS DISPV- tationibus.

Dominica aderit propugnator Fr. Ildephonsus Uelez, sub præsidio R. P. Presb. Fr. Hieronymi Tolon Prioris Conventus nostri S. Dominici Ursuonensis. Dicabitur Actus Senatui Civitatis Astigiensis.

Feria secunda erit propugnator P. Fr. Emmanuel Baez Lect. Attiū Conventus N. Ss. Rosarij Gaditani, sub præsidio R. P. Fr. Joseph de Esquibel Regentis Studiorum Conventus nostri R. S. Pauli Hispalensis. Dicabitur Actus Illusterrimo, & Reverendissimo D. D. Fr. Petro de Palacios Episcopo de Guadix ex Ordine nostro assumpto.

Quæ omnia vtinam cedant in aliquale mei muneras  
adimplentum. Hortor, & exoro omnes vos RR. ac  
gravissimos Patres, & per sanguinem Iesu Christi, & S. Pa-  
tris

teris nostri Domini ci præclara merita obtestor serio, vt fu-  
sis ad Deum enixis precibus pro pace, & tranquillitate, pro  
huiusque nostræ Provinciæ reformatione, atque, vt in libe-  
ra, fœlicique negotiorum, rerum vè agendarum expeditio-  
ne uno spiritu, unoque solius Religionis zelo ; ac in primis  
Dei debito obsequio vnanimitè conspiremus, suppliciter  
exoretis. Accingimini Patres gravissimi ad laboriosi itine-  
ris capessendam viam, in qua sic ex nostræ Cameræ angulo  
vestrâ speculor exēplarē procedendi formâ, vestram in di-  
versorijs ædificatoriam conversationem, vestros itineranti-  
bus occursus, vt viuam Sancti Patris imaginem, expressam  
primitorum Patrum normam, vestro in gravissimo aspe-  
ctu suavissimè contemplando, exalent. Bene igitur valete,  
& Dominus sit in itenere vestro, & Angelus Sanctus eius  
comitetur vobis cum. In quorum fidem præsentibus sub-  
scripsi, & sygillo nostro parvo muniri mandaui. Datis in  
Conventu nostro Reg. S. Pauli Cordubensi die 26. Fe-  
bruarij anni 1695.

*Ego Emmanuel de Schone*

*Emmanuel de Schone*

*Vestigium Fidei et Reformationis*

*Emmanuel de Schone*

*Emmanuel de Schone*

*Emmanuel de Schone*